

Parte 4. Tract. 4. Resolut. 232. mutavit sententiam, quam tradiderat Parte 2. Tractat. 14. Resolut. 26. Videndus etiam Parte 11. Tract. 8. Resolut. 67. Vbi etiam contra nonnullos nouitatum architectos, qui pro applicatione fructus Sacerdoti correspondentis duplicari posse stipendium asserunt, de quo & Tract. 7. Resolut. 27. Digna sane sententia, quam Ecclesia inter absurdas alias, reprobata iam ab ipsa, aut reprobationi proximas, comprehendat; quantumvis pro ea militet Thomas Hurtadus Tractatu 2. Resolut. 17. nonnullos adducens: qui & num. 187. & 188. doctrinam aliam minime admittendam proponit, iuxta quam duplicatum stipendium potest recipi à diuersis. Sed Decretum standum, iuxta quod est optima pro Assertionem ratio, quia pro applicatione Sacrificij nihil accipi potest, esset enim simonia: si ergo stipendium licet, id tantum est ob laborem in sacrificando: atqui labor est debitus: ergo ex tali titulo nihil accipi potest. In quo sunt qui censeant, etiam cum labor est indebitus, non posse accipi stipendium, si Parochia suppediret tantos redditus, quantis Parochi opus est ad vitæ onera. Sic P. Bauny *supra* Quæst. 14. & ante eum Vega verb. *Missa*, Casu 33. & 34. Quod fundari potest ex eo quod Parochi tunc accipiunt stipendium in sustentationem: atqui illam iam à Paracianis habent: ergo accipere vltiorem nequeunt. Si dicatur argumentum multum probare, quia ex eo sequeretur generaliter eum, qui sufficientem sustentationem habet, non posse stipendium accipere: cum tamen contrarium sit communi doctrinæ receptum. Pro quo videri potest P. Onate *Disput.* 84. *num.* 149. & *seqq.* Occurri potest, quia in casu, de quo loquimur, Parochus sustentationem habet à Parochianis tributibus temporalia, quia accipiunt spiritualia: ergo spiritualia huius diei nequeunt aliis conferri. Et licet possint Parochiani obligationem dicendi Missam remittere, non tamē censendi sunt sic remissionem facere, vt bonum, quod ex Missa illis provenire potest, aliis tribuatur. Qui discursus, licet à præfato non proponatur Auctore, est tamen consideratione dignus, vt Parochi in hoc non sint ex pecuniarum cupiditate præcipites, vbi docti, neque scrupulosi aliâs Scriptores periculum deprehendunt. Iuxta quæ non videtur admittendum, quod habetur in Synodo Diocesana Pacensis *Lib. 1. Tit. 5. Cap. 19.* scilicet pro Missa benedictionum nuptialium posse accipi stipendium, quia non est obligatio illam pro sponſis dicendi. Quidquid de improbabilitate & ignorantia indignè dicat P. Turrianus in *selectis* Parte 2. *Disputat.* 31. *Dub.* 16. Iubet etiam Concilium secundum Limese *pag.* 19. *Summary*, num. 67. Missas Cathedralium, & Parochialium Conuentuales, etiam Indorum, dici pro populo in Dominicis & Festis, quas ex tunc applicauit. Censet autem Dom. Villaroel non esse pro eo obligationem, quia Concilium non est vltimè verbis præceptiuus. Sic *Quæst.* 9. *Art.* 5. parum consentaneè ad ea, quæ dixerat *Quæst.* 2. *Art.* 1. *num.* 12. quod scilicet ex grauitate materia colligitur obligatio, etiam si verba præcepti non sint. Deinde, Si applicatio Concilij valuit, non potest alia non esse culpabilis. Debit ergo probare Concilium non potuisse applicare, licet

Efficax procuratio.

Etiam cũ obligatoria non est, iuxta aliquos, pro qua arguitur.

Synodales Pacenses circa Missam pro sponſis, non admittuntur.

Quidquid circa Missas in Festis à Concilio Limesi statutum.

Dom. Villaroel minus consequenter locutus.

præcipere potuerit. Sed certè Concilium opinione est vltimè probabili; & cum res dubia remaneat, non poterit Parochus alteri applicare, cui se quomodolibet obligarit. Quod autem ad obligationem applicationis attinet, iuxta citatum Concilij Decretum, statuunt etiam Synodus Diocesana Limesis *Lib. 1. Tit. 5. Cap. 15.* & Pacensis *Lib. 1. Tit. 5. Cap. 11.* addens, quod si non possit dici in die festo, dicatur sequenti.

8. Decimotertio, Audire Parochianorum Confessiones, quoties illi conuenienter ex causa petierint. Video circa hoc extare opiniones, de quibus Diana Parte 2. Tract. 16. Resolut. 2. & Parte 11. Tract. 8. Resolut. 29. vbi semel aut bis audire detrectantem non peccare mortaliter, ex P. Dicastillo statuit contra Bonacinam. Pro quo & videndus P. Escobar de Mendoza Tomo 2. *Theologiæ moralis* *Lib. 16. à num. 607. vsque ad 615.* Et quidem Auctores aliqui, dum fauere conantur Parochis, & eorum reipia, licet alia sit ipsorum mens, fouere socordiam, fidelibus incommodare grauitate comperuntur. Quis ferat diem esse solemnem, ac Iubilæum in Parochia, & confiteri volentes Parochianos à Pastore repelli, est seque coram Deo illum à reatu immunem, qui sic coram hominibus damnabilis inuenitur? Certè si Eucharistiam peterent, & negaret, nullo pacto excusabilis haberetur: ergo & negans Penitentia Sacramentum. Illatio est vrgens: quia respectu vtriusque eadem ratio est in officio fundata Pastoris. Video Patrem Bauny. *Quæst.* 20. de Eucharistia idem quod de Confessione sentire, & veniale in eo tantum peccatum agnoscerem; magnum tamen: quod quidem tale existimat ob auctoritatem P. Suarij, P. Vazquez, P. Valentia, Cardinalis Toleti, Victoris & Vivaldi, quibus addere & alios posset. Atqui illi mortale esse affirmant: ergo parum eorum auctoritati deferendum tantum veniale esse contendit. Melius P. Lessius circa *Additiones S. Thomæ quæst.* 8. *num.* 29. nostram vt omnino tenendam statuens Positionem: sicut & Pharaonius *Tract.* 1. *Sessio* 20. *Casus* 1.

vbi notanda alia.

13 Parochianorum Confessiones audire, Pro quo arguitur.

Ex obligatione circa Eucharistiam vobis additur.

B. Bauny.

14 Turpia in sonis, & actionibus ab Ecclesia propulsare.

Quid circa conuicia.

15. Lætionis & studio insisteret.

9. Decimoquarto, Turpes cantilenas, sonos, salutationes, representationes, & comestationes, arcere ab Ecclesia. Pro quo videri potest P. Fragosus *supra* *num.* 23. & 24. & circa cantilenas & sonos, quæ à me dicta in Epithalamio *Tit. num.* 954. & *seqq.* & circa conuicia, admittit ille cum Raphael de la Torre vt in angulo Ecclesiæ aliquid sine tumultu sumatur: non equidem probamus, quod videtur in Indijs, vt non longè ab altari maiore, in quo sanctissimum est Eucharistia Sacramentum solemnè pompâ propositum, lautiores epulæ pariter proponantur. Abusus est penitus extirpandus: si tamen sit qui feminas nobiles audeat contristare.

Tandem, Lætionem vacare, vt ea quæ ad sui officij administrationem spectant, dignè exequi possint. Neque enim satisfaciunt, dum dicunt, si quid difficultatis oriatur, posse tunc aut libros, aut doctos consultare. Multa siquidem occurrunt in ipsa administratione, in quibus consultationi non est locus, & vel committendus error, vel erroris periculum incurrendum. Videatur Concilium Limese Tertium *Art.* 3. *Cap.* 22. Et P. Cressolius *Lib.* 3. *Cap.* 49.

§. III.

§. III.

Difficultates nonnullæ circa eosdem expeditæ.

10 Prima sit, an eiusdem Parochiæ plures esse Parochi possint.

Id quidem in Indijs vsu receptum videmus, sed sunt quid minime probent, ex quibus Oldradus Staphylæus, & Lælius Zecchius, quos adducit, & sequitur P. Bauny *Quæst.* 3. alijque adducti à Trullench *Tractatu de iure Parochi*, Tomo 3. *Dub. vltimo*, num. 1. quibusdam & sentit: qui id probant *Primo*, ex Cap. *Dilecto* de Præbendis, vbi sic habetur: *Ad vnicum ius spirituale, quod vacabat ibidem, in simul duos Canonicos insitnere predicto Legato non licuit: nam si duo vnicam Præbendam haberent, id esset contra Turonense Concilium, quod Præbendarum sectionem inhihet: si vero duobus receptis, vni tantam Præbendam daretur sub expectatione, alius contra Lateranense Concilium remaneret.* Hæc Innocentius III. ex quibus ad Parochiale beneficium sit efficax argumentum. *Secundo*, quia inter Beneficiarium & Ecclesiam, cui præest, matrimonium quoddam spirituale contrahitur, ex Doctoribus apud P. Comitolum *Lib. 1. Quæst.* 72. *num.* 8. Atqui maritalis coniunctio vnus cum pluribus turpis, & omni iure nulla est atque inanis. Ridiculè ergo vni eidemque Parochiæ vt mulieri viros plures tribuunt aduersarij. *Tertio*, vnus eiusdemque corporis non est nisi vnus caput: & Parochia corpus est, cum instar membrorum habeat differentiam, in quæ à Parocho vita spiritualis vt à capite per gratiam manat: ergo eam regere non est plurimum, sed vnus tantum, & iuxta hæc ita statuitur *L. 2. Titul.* 16. *Part.* 1. *Quibus non obstantibus.*

Afferio 3. affirmans.

Vsu Gallia defenditur.

11 Dico tertio, vnus & eiusdem Parochiæ plures possunt esse Rectores. Sic Bellamera, & Cardinalis Tuschus apud citatum Auctorem, qui pro eodem adducit Gallia vltimè, quamuis in fine conetur respondere ad illum, dicens illos non esse Parochos, sed viros industrios, qui nomine Episcoporum, non quidem curam animarum exercent, sed curæ tantum exercitium. Quod est creditu profectò difficile, Ecclesijs scilicet illis non esse de Parochis prouisum, qui vt veri Pastores fidelium curam peculiarem gerant, & per solos mercenarios negotium tantum transigatur. Curam quidem animarum non habent. Quis ergo illam habebit? Episcopi? Atqui illos non posse commodè Ecclesijs particularibus curâ immediata prouidere, generalis Ecclesiæ vsus iam olim ab ipsis Ecclesiæ exordijs demonstrat. Aliâs cur Parochi in Ecclesijs creantur, cum sufficiant Episcopi, curâ apud ipsos residente? Et quidem viri illi industrij, qui nomine Episcoporum curæ exercitium habent, Ecclesijs numerosis adhibentur. Tales autem Ecclesias Parochorum curâ destitui, quæ minoribus impeditur, non videtur iuxta æquitatis regulas admittendum. Et ita in Indijs sic est diuersis in locis constitutum. Vbi distinctio illa nequit admitti: dantur enim administrationes istæ vt vera Beneficia per oppositionem, & Canonicam institutionem.

Theſauri Indici Tom. II.

tionem. Id quod est iuxta communem Doctorum sensum, iuxta quem, si plures sint eiusdem Parochiæ Parochi, cuiuslibet ex illis licentia sufficit, vt alius possit Matrimonio assistere. Pro quo P. Busenbaum *Lib. 6. Tractat.* 6. *Cap.* 3. *Dub.* 2. §. 3. duo sint & Pharaonius in *Appendice*, *Tractat.* 1. *Sessio* 13. *Casu* 2. Quod autem nihil obstat, constabit vltius obiectorum solutione.

12 Ad primum dico ex Capite illo constare Præbendam diuidi non posse regulariter loquendo, quia duobus commodè seruire nequit. Quod autem si pinguis sit, & pro duobus sufficiens, diuidi possit, manifestè habetur in Cap. *Vacante*, eodem Titulo. Vbi sic dicitur post prohibitam diuisionem: *Nisi rationabili causa de vacante Præbendâ supra dicta duæ fuerint constitutæ, ac tot sint vtriusque prouentus, quod per vtramque sit vtrique prouisum in Beneficio competentis.* Sic ibi Pontifex idem. In citato etiam Cap. *Dilecto*, sic habetur: *Quamquam interdum hi, ad quos spectat electio, de communi assensu augmentari valeant numerum Præbendarum, quoddam ius spirituale de nouo creando, &c.* Idem ergo dici de Beneficio Parochiali potest, iuxta plenam facultatem pro Indijs concessam Regibus nostris à Sede Apostolica, interueniente iudicio Episcoporum, vt omnis circa hoc dubitatio debeat consopiri.

Solutio obiectionis. de Præbendarum in distinctione.

Cap. Vacante, de Præbendis.

Cap. Dilecto c. 2.

13 Ad secundum, si ita est, quod Parochi sponſi sunt, communis omnibus remanet difficultas, quomodo scilicet, cum Episcopos sponſus sit, duo esse Ecclesiæ sponſi queant: immodè & tres videntur concedendis: nam Christus etiâ sponſus est: vnde in officio Consecrationis & dedicationis Ecclesiæ dicitur: *Sponſum eius Christum adoremus in eâ.* Dicit ergo potest quod in his metaphoricis & mysticis locutionibus non sunt omnia, quæ in his, ex quibus similitudo trahitur, requirenda. Sic sapiens de sapientiâ loquens, hæc habet: *Quæstui sponſam mihi eam assumere. Sapient.* 8. *v.* 2. Quomodo ergo sapientia tot habet sponſos, quot sapientes sunt? Et certum est sapientem de illâ vt de vnâ loqui, sicut constat ex *Cap.* 10. & 11. vbi magnalia Patrum veteris Testamenti eidem adscribit. Deinde dici potest Parochos non esse sponſos, sed Rectores, vt eos Sacri Canonès vocant. Neque P. Comitolum Doctorem aliquid in speciali allegat aliter sentientem: quod si aliqui sint, minus proprie locuti, & per quamdam similitudinem Episcoporum, in quo non est multum insistendum.

Solutio 2. de vnico sponſo.

Solutio 3. de vno capite.

14 Ad tertium facilis est responsio iuxta nuper dicta de mysticâ locutione, addendo quod sicut Paraciani vniantur nexu aliquo vt efficiant vnum corpus, ita dici potest quod Parochi vniantur & vnum caput efficiant, sicut Capitulum Sede vacante vnum caput est: quo pacto dici etiam posset esse vnum sponſum, qui ex multis constari potest: sic enim Alexander III. Republicæ Venetæ concessit vt Adriatico mari in signum pleni dominij desponsaretur: cuius desponsationis cæremonia celebris annuatim repetitur die Ascensionis Domini, de quo multi agunt Auctores. Neque lex adducta vrget, quando praxis, de quâ loquimur, Regiâ auctoritate suscitur, quæ suis potest in legibus dispensare. De Episcopis alia ratio est, quia sunt præcipua Capita, & ita ex eo bene arguit Innocentius III.

SS 2 in

in Cap. Quoniam, de Officio Ordinarij. Illud præfatis addendum: quod cum ratio multiplicandi Parochos numerositas Paroeciarum sit, non debent per hebdomadas alternatim seruire: & ita decernitur in Synodo Diocesana Limentis. Libr. 1. Titul. 5. Cap. 14. Quod vti nam obseruetur.

Anteantur ad reſtitutionem Horarum non recitantes Parochi. 15 Secunda difficultas, An tales Parochi, si Horas Canonicas non recitent, teneantur ad aliquam reſtitutionem.

Ratio dubitandi, quia obligatio reſtitutionis oritur ex eo quod Beneficiati recipiant redditus Ecclesiasticos cum eo onere, scilicet propter officium, vt constat ex Cap. Cum secundum Apostolum, de Præbendis. Cap. Finali, de Reſcriptis in Sexto. Et ex Concilio Lateranensi sub Leone X. Sess. 9. §. Statuimus. Et alijs debent esse sufficientes ad congruam sustentationem ex citat. Cap. Cum secundum, vbi sic dicitur: Dignum est vt Ecclesie stipendijs sustententur, in qua, & per quam diuini officij quis adscribitur. Sic ibi. Vnde graues scriptores tenent, Beneficium tenue, quod scilicet tenues redditus Ecclesiasticos habet, non inducere obligationem reſtitutionis, vt videri potest apud P. Thomam Sancium Lib. 2. Consistorum, Cap. 2. Dub. 66. qui hanc sententiam ait esse probabiliorum in praxi: pro qua & Diana multis adductis Parte 2. Tractat. 12. Resol. 9. & P. Escobar de Mendoza Tom. 1. Lib. 3. n. 160. In Indijs autem Parochi Hispanorum tenues redditus Ecclesiasticos, ex decimis inquam, recipiunt, & quod ad congruam sustentationem necessarium est, ex stipendijs peculiaribus habetur, quæ pro singulis ministerijs assignata sunt, in quibus id fieri sine indecentia, & limonia: apparentia potest. Quod tamen nescio an plene sic agentes consequantur. Ea autem quæ ministerijs respondent, non esse cum alijs computanda, sed attendendum tantum id, quod ex decimis Beneficij obtinent, ex multorum sententia deducitur, quos P. Sancius adducit supra, Dub. 68. & Diana Resol. 8. eosdem secuti: dicentes in Capellania tenuitatem attendendam respectu fructuum, qui supersunt, dempro stipendio, quod Missis debetur, & Dub. 83. tamquam probabiliorum idem Pater amplectitur sententiam quam plurimum, quos ibidem profert, tenentes in ordine ad reſtitutionem attendendos fructus, qui respondent ministerijs, vbi in speciali de Curatis id asseritur, & de illis nihil reſtituendum. Pro eodem videndus P. Bauny in Praxi Beneficiorum, Disputat. 13. Quæst. 36. Assertionem 3. vbi pro eadem alios adducit. Et Tomo 1. Tractat. 10. Quæst. 36. qui Assertionem 4. cum alijs ibidem citatis concludit Parochum, sicut & Episcopum quintam reſtitutionem fructuum parte reſtituta latilfacere, quod & tradit Trullench Tomo 1. in Decalogum, Lib. 1. Cap. 7. Dub. 16. num. 3. addens Canonice quartam, & alios tertiam. Vbi ergo illi perpauci, nihil videtur obligatio reſtitutionis vigere.

Ex Beneficio tenui arguitur, ex quo non oritur obligatio.

Attendenda ministeria alia præter reſtitutionem.

Assertio 4. negas obligationem, quando ex decimis bona pars sustentationis non habetur.

16 Dico quartò. Si id quod Parochis Hispanorum in Indijs decimallium fructuum tribuitur, adeo tenue sit, vt non præstet bonam partem sustentationis, non tenentur quidquam ex eisdem restituere. Sic Auctores, quos adducit P. Sancius supra, Dub. 67. vbi propositis varijs dicendi modis circa designationem bonæ huius partis

sustentationis, bene concludit relinquendum id esse prudentis arbitrio, quia pro diuersitate prouinciarum, locorum, & temporum, diuersimodè possunt alimenta constare. Quod quidem in Indijs maxime verum habet, & passim experimur: turbatio enim Europæ in multa Indiarum detrimenta protrahitur, in quibus alijs magna esse circa prædicta diuersitas consuevit, vt non debeant Ecclesiastici nimium circa id, de quo agimus, degrauari. Faciunt pro eodem Auctores, quos adducit Diana Parte 1. Tractat. 12. Resol. 8. eorum sententiam vt probabilem proponens, quatenus dicunt eum, qui habet Beneficium Curatum, non teneri restituere, nisi partem respondentem obligationi recitandi Horas. In nostro ergo casu id, quod Horis respondet, tenue est, vt supponimus, & ita restituendi obligatio nulla.

17 Dico quintò. Etiam si id, quod ex decimis aut primitiis accipitur, ad bonam partem sustentationis sufficiat, non est integrè restituendum iuxta defectum recitationis Horarum, vt per dies, quibus omisa est recitatio, nullum lucrum habeatur. Id probo. Quia licet specialibus ministerijs sua specialia iura respondeant, ex quibus sustentatio potest integrari; non adeo existimandum est decimalem portionem pro solâ Horarum recitatione concedi; id enim fundamento caret: datur ergo vt stipendium Pastori, qui diuersimodè pacere potest, licet eorum labori non sit adæquata, vnde pro defectu recitationis non est integrè redhibenda.

18 Dico sextò. Id quod iuxta computationem dictam potest recitationi Horarum respondere, non est ex obligatione iustitiæ restituendum, aut ex aliâ, quæ sub peccato sit. Probabilitatem huius Assertionis ostendunt dicta n. 15. & 16. quia id, quod respondere potest, est adeo tenue, vt non inducat ex se obligationem recitationis; licet aliâ ratione Ordinis sacri illa vigeat. Contrarium tamen satis probabile est, & cui melius faciunt, si se Parochi conformarint. Et oportebit aliquando vt Confessarij pro satisfactione talem reſtitutionem iniungant, & vt Penitentes circa hoc minimè se opinionem probabiliter tueantur. Quia verò circa Penitentiam à Confessario impositam fauorabiles sunt opiniones, iuxta quas illa mutari ab alijs Confessarijs potest, non erit erga casum præsentem maior quam circa alios difficultas, vnde & mutari ab alijs Confessarijs poterit, congruâ interueniente ratione, aut Indulgentiarum obtentione suppleri, secundum diuersas concessiones pro iniunctis Penitentis, & non impletis Iubilæorum, & similibus, de quibus passim Doctores. De obligatione Parochorum Indorum circa prædicta dicendum inferius, num. 49.

19 Tertia difficultas, Quo Rituali vti debeant in sacrorum administratione. Circa hoc sic habet Concilium Limentense Tertium. Act. 2. Cap. 37. Cum nuptiæ benedicuntur, Missa iuxta præscriptum noui Romani Missalis dicatur, nihil penitus mutato: ceremonia verò consueta & fiant ad Ecclesie ianuam prout moris est donec Sanctissimi Romani Pontificis auctoritate Manuale commune publicetur, quod oportebit per omnia sequi. Sic Concilium. Circa quod.

Assertio 5. non esse integrè restituendum, etiam si ad sustentationem sufficiant.

Assertio 6. in Indijs Parochis nullam sub peccato extare.

Potest pro Penitentia imponi, & mutari ab alijs Confessarijs.

Quo Rituali vti debeant.

Concilium Lim. 3.

Dico

Assertio 7. Romano utendum, pro cuius auctoritate certatur.

Libera & generaria aliquorum pronuntia.

Ex vi Decreti Concilij specialis obligatio.

Verbum Oportet aliquando illam inducat.

Assertio 8. Peccare grauius altercantem cum Religiosis circa sustentationem.

Dico septimò. Cum Manuale prædicitur auctoritate Pauli V. Decretum Concilij præfatum pariter obseruandum. Et quidem Manuale prædictum auctoritate Pontificiam habere mihi est indubitabile ex Bullâ eiusdem Pontificis, vt ostendit P. Egidius Coninck in responsione contra Coquetiū circa hanc materiam n. 38. P. Martinon Tomo 5. Disputat. 50. num. 21. Pro quo & Diana Parte 3. Tract. 3. Resol. 4. §. Ad tertium. Quidquid nonnulli apud eumdem dixerint, asserentes illud ab vno Doctore confectum, & illius auctoritatem non excedere. Neque consensum Pontificis, aut iussionem obtinere, quâ confectum fuit & euulgatum, quia totum id, nullum pondus rebus confert, quæ in eo præscribuntur, cum non præcesserit serium & exactum Theologorum examen. Quæ quidem satis liberè pronuntia sunt, & sine temeritate notâ dici nequit res tanta, vbi res maxime Theologicæ continentur, sine serio ac sufficienti Theologorum examine à Pontifice promulgata. Et verò si auctoritas Pontificia in eo non est, non satis consultam ab eo damnis, quæ ex arbitraria sacrorum administratione, ac præcipue Sacramentorum, quibus occurrere voluit, poterant pullulare. Immo neque hucusque à Romana Sede prouitum; quod incredibile est. Cum ergo obliget iuxta subiectam materiam, licet Limentis Concilij non extaret auctoritas, quæ specialem obligationem induceret, eadem esset obseruandum. Iam verò, si licet dicamus Manuale dictum obligationem sub mortali non importare, ex vi Decreti prædicti aliter asserendum, in partibus, ad quas Concilij auctoritas præpropagatur. Neque obstat loquendi modus. Quod oportebit per omnia sequi. Verbum enim Oportet obligationem etiam grauem solet designare, iunctâ materiæ grauitate, & magno in obseruatione momento, vt aliter non videatur communi bono consultum. Pro quo Nauarrus in Manuali Cap. 23. num. 34. Medina Tractatu de Teiunio, Cap. 7. & alij. Nec dissentit P. Suarez Lib. 3. de legibus Cap. 15. num. 10. vbi tantum ait ex vi verbi non deduci obligationem; quod non negamus: vnde & ipse, quod aliunde colligi obligatio possit, ex dictis scilicet, non negabit: qui & idem ipso loquendi modo videtur indicasse, iuxta doctrinam Diui Thomæ 2. 2. quæst. 104. artic. 2. quam ibidem adducit, quatenus ait quod quacumque ratione constet subdito de voluntate Superioris, habetur præceptum saltem tacitum. Vbi & videndum quid de circumstantiis ait, iuxta quas vis præcepti dispicienda.

20 Dico octauò. Præfati Parochi grauius peccare possunt, quod & vti nam non sæpè contingat, cum Religiosis circa iura funeralsium altercantem, quando aliqui in eorum Ecclesijs sepeliuntur. Priuilegia ipsorum circa hoc notissima sunt, de quibus Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 3. Cap. 22. num. 25. & in segg. & in Politica Lib. 4. Cap. 22. pag. 686. in fine, vbi & Auctores Theſauri Indici Tom. II.

res congerit de illis agentes, & schedulas Regias allegat, vt illa à Prælati & Curatis obseruentur. Vt autem iura ampliora sint cum Religiosorum iacturâ, informationes confici à vero alienas, quis non videat ab eorum statu penitus abhorrire? Contra Conuentum Patrum Minorum Limentis huius Ciuitatis informationem instructam audiuit, ex qua habebatur eum octingenta Octidregalium, seu Paraconum millia in annuis redditibus, ex Capellanijs, funeralibus, & emolumentis alijs numerare. Quod equidem aduersum est penitus veritati. Nec duplicia ergo iura, neque Quartam funeralem, neque oblationes se posse requirere pro certo habentes, prorsus conquirebant. Quibus illud dicere conuenienter possumus, quod militibus D. Ioannes Baptista: Neminem conuictis, neque calumniam faciat, & contenti estote stipendijs vestris. Luca 3. vers. 14. vbi verbum Conuicti iudicium est: potest, quatenus Conuictus in Iure est iniqua acceptio alicujus ratione Officij publici, de quo Tit. præced. num. 12. Alia autem satis aperta sunt.

21 Dico Nonò. Quia Parochi Hispanorum solent etiam Athiopes curæ suæ habere commissos, peccant grauius si circa eos omnia non præstent, quæ circa Hispanos præstanda ab ipsis officij sui iura compellunt. Immo plus aliquid circa eos præstare debent, quia eorum maior est necessitas. Instruendi ergo illi, quod diebus saltem Dominicis & Festis faciendum præcipit Limentis Concilium tertium Act. 2. Cap. 5. & de Baptismo solerter inquirendum: ad prædicationem vocandi eorum captiui accommodandam: curandum vt annuæ Confessionis & Communionis præcepta expleant, & volentes matrimonium contrahere non repellendi, quando ea, quæ ad ipsum spectant, ritè peracta sunt, eo solùm quod sibi iura exactè non soluunt, nescio quomodo, nullo eorum causam apud iudices agente, constituta: volentes vt quod ipsi non habent, à dominis soluatur, contra quorum multoties voluntatem contrahunt; id si reſciuerint, qui proutus verituri: & si non vetare contingat, nolentium tamen circa illud plenum præstare consensum, cum sint solâ permissione contenti: vnde nec sunt ad iurium solutionem in conscientia foro etiam adigendi. Nam vetare quidem, iniquissimè fit: cum tamen fiat sæpè, contra Concilij Tridentini Decreta Sessio 24. Cap. 9. de Reformat. matrimonij. Et Limentis 2. Sessio 2. Cap. 19. ac Tertij Act. 2. Cap. 36. Licentiam autem præbere, & beneplacitum ostendere, non est obligationis sub reatu culpæ lethalis: ad id enim nullum esse vrgeris caput, & cum valde iniucuda dominis esse solet, non sunt in eo ipsorum conscientia: à Confessarijs aggrauanda: & pro hoc stat P. Sancius Lib. 7. de Matrimonio Disput. 21. num. 7. vbi & ait dominum posse tyrâ conscientia: reniti, nullam tamen obstaculum inducendo. Cum ergo domini non teneantur ea tribuere, quæ Parochi sibi deberi contendunt, neque aliunde seruis suppetant, quid restat, faciendum? Furtione quærant? Ita forte eueniet: sed indignum est vt Christiani Pastoris ouicula ob illius avaritiam ad talia sit animæ præcipia compellenda. Et Concilium quidem Limentis Tertium supra Cap. 38. sic ha-

Luca 3. v. 14.

Gravius peccare incuria erga Athiopes, circa quos præstanda proponuntur.

Ad licentiam pro matrimonio præbendam non tenentur eorum domini.

Cui & reniti possunt.